Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 95
Quelle:
Copyright:



lineas, quam marginum commentario instructum. *Fol.* 2. p. 1. quaedam in *Apocalypsin*, et nota illa *Signa* supremum Judicium praegressura leguntur. *Pag.* demum 2. integrum *Canticorum* Exemplum ita orditur: *Incipit Epiprologus Super Cantica Canticorum Que Hebraice Dicuntur Sirasyrim.* Epiprologus hic Ogdostichon est hujus tenoris:

*Hunc cecinit salomon mira dulcedine librum*
*Qui tenet egregias sponsi sponseque camenas*
*Ecclesie et christi laudes hinc inde canentes*
*Et thalamos memorat socios sociasque fideles.*
*Has rogo menti tuę iuuenis mandare memento.*
*Cantica sunt nimium falsi hęc meliora maronis*
*Hec tibi uera canunt uitę pręcepta perhennis.*
*Auribus ille tuis male friuola falsa sonabit.*

Nescio, an Versus hi eundem Autorem habeant, quem *Prologus* et sequens dein *Commentarius.* Prologi inscriptio et initium: *Item Prologus Super Eadem Cantica Canticorum. Salomon rex pacificus. qui et ecclesiastes est dictus* &c. Commentarii vero: *Incipit Expositio Summa Super Canticorum Cantica. Osculetur me osculo oris sui. Desiderantis uox est sinagogę aduentum christi* &c. Dedimus Expositionem hanc infra inscriptam *Bedae*, ibique notavimus, in *Bibl. PP. Lugd.* T. XX. p. 1606. *Brunoni Astensi* tribui, qui Sec. XII. obiit. Posteriorem hanc sententiam aperte refellit *Codicis* praesentis aetas. Sed neque *Bedae* esse, quin potius *Haymonis Halberst.* ibidem invenies. Id notandum superest, praeter Expositionem *Haymonis* Exemplum, quod prae manibus est, *Glossa* inter lineas asperfum esse prorsus alia, quam quae in *Bibliis Glossatis* impressis extat. Textus demum integer est; Expositio vero ab his C. V. verbis: *Dilectus quia per fidem et caritatem illi inhereo. Amicus uero quia me de uinculo* — — Codice excidit.

II. *fol.* 20. deperditis igitur pluribus foliis sequitur Fragmentum *Expositionis in Proverbia Salomonis*, et quidem a C. *ult. v.* 12. his verbis: — *que ipsa scire. vel facere ab illo adjuta potuit. etiam aliis intimare satagit. E contrario sunt qui acceptis a domino bonis mala rependunt. id est. vel fidei misteria quę perceperunt hęretica fece fędando uel fidem quam professione seruant. prauis operibus blasphemando. uel mores bonos per colloquia mala corrumpendo. Omnibus diebus uite suę. Omnibus diebus reddit domino bonum qui in his quę bene incboat usque ad finem uite presentis persistere curat. Cui simile est illud euuangelicum. seruiamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso omnibus diebus nostris.* Deleth. *Quesivit lanam et linum* &c.